

Bibliothèque numérique

medic@

**Hallé, Jean-Natale - candidat /
Jeanroy, Déodat - président. - An
Remediorum, etiam Empiricorum,
adhibitio dogmatica ?**

1777.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°107***

107.
DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima
mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXVII.*

M. DEODATO JEANROY, è Regiâ Societate Medicâ Parisiensi
pro Epidemiis institutâ, Bibliothecæ Facultatis Præfesto designato, Doctore
Medico, Præfide.

An Remediorum, etiam Empiricorum, adhibitio dogmatica? *

I.



U O primum tempore morbis conflictati dolière mortales,
eo primum medicinam malis quæsière. His in rerum angustiis,
vel qui dolentes socios miserabantur, vel ipsi ægrotañtes, sanitatis
desiderio compulsi, ad ea primò confugère, quibus mala mitescere
posse natura ipsa quasi sponte indicabat. Primis successibus
spes crevit, novaque ausi sunt experiri. Montes, arva, lacustres
oræ amplam tentaminibus segetem sufficiebant. Si quæ feliciter cesserant, notata
sedulo, curiosè asservabantur. Hi fuère primi Medicinæ codices. Tunc autem
omnis in observatione sita res erat. Sensim, tum ex analogiâ similium, tum
ex naturæ intuitu jacta sunt ratiocinii fundamenta; cujus necessitatem etiam
arguebant mixta successibus infortunia.

Igitur initio institutæ primariæ morborum classes, prout variè sese antè oculos
ferebant symptomata. Ac primò omnes illi qui aucto motu maximâque symp-
tomatum violentiâ se efferebant, distincti omnino fuerunt ab illis, qui corpus
tacitè & lentâ labe depascuntur. Altera divisio eorum fuit, qui nullibi fixi, totam
lædunt œconomiam, ab iis qui alicui parti peculiariter inhærescunt. Primi
totius substantiæ morbi vocati sunt. Deindè accuratior observatio discrimina
nova posuit.

Visum autem in plurimis, postquam symptomata ad violentiæ fastigium per-
venerant, derepentè, in summâ desperatione, morbum (quasi corporis viribus
intus debellaretur) per vias antea occlusas, dein subito referatas impetu, disflu-
xisse. Indè prima, & materiei, & naturæ agentis, & criseos in morbis idea nata
est. Jamque ars, naturæ obsequens, monstratas vias certiori gressu capebat.
Verùm exorto contagio, miseros latè stravit pestis, totam corrumpens humo-
rum massam. Ex naturæ conatibus novas vires dum sumeret illa, ipsisque sub

A

* Cette thèse devrait être immédiatement précédée de celle de M. de Meunier
"An variolæ... etc." (cf. Comment. de Variolis. p. 1)
qui existe d'ailleurs à son rang dans le même vol. de la Coll. Bertrand.
(Ainsi de une autre vol. d'ailleurs. ??)

remediis cresceret potius; divinitus accidisse credebatur. Igitur id quod ratiocinium omne superabat, precibus victimisque depellendum putabant. Sic, dum quædam attigisse ratio videbatur, alia ipsius acumen omnino fugiebant, meliori fortunæ relinquenda.

Remedia quoque, ut singulis indicationibus medebantur, ita in classes digesta fuere. Inde in acerrimis cruciatibus, ubi tensa duraque omnia, prima constituta est anodynorum laxantium & emollientium classis. Deinde quæ stimulo salubri & halitu vivifico animos restituere & languentem vitam revocare videbantur, in cardiacorum classe habita sunt. Accessere deinde illa quæ subducunt alvum, cutem referant, movent urinam, seu ratio dederit, seu forte objecta fuerint. Sic demum, hinc alterantibus, inde evacuantibus res gesta. Potuitque ars naturam sequi, ipsam æmulari; aliquandò est ausa prævertere, & modò effrænare temperare, modò excitare inertem, modò datâ occasione nocivas particulas extrò propellere. Verum ut inter morbos quidam, veluti portentosi, ingenii captum excefferant; sic & in medicamentis talia identidem sese offerebant, quorum actio subita, prodigiique iactar, inimicos motus compescere poterat. Ea, ut minùs intellecta, ita, quasi cælitus missa, inter divum munera relata sunt. Hæc ideo, quorum recordatio minùs à judicio pendebat, altius medicorum memoriæ imprimi debuere; dum cætera, solius ope ratiocinii, in ipsâ indicatione faciliùs fuggerebantur.

Inde primum orta distinctio remedia inter *Dogmatica* & *Empirica*. illorum actio evidens est, & adhibentur ubi ipsa ratio suadet, rerumque natura indicat. Contrà Empiricorum actio latet, & omnis eorum indicatio ex solâ experientiarum fide ducitur. Hæc tamen ita intelligenda distinctio est, ut, etiam empirica remedia, non nisi cum ratiocinio & à dogmaticis medicis debeant adhiberi.

I I.

QUÆCUMQUE corpori nostro ingesta, ejus actioni ita resistunt, ut ipsum immutare valeant, ea medicamentorum numero possunt ascribi. Talia enim, ritè applicata, corpus ægrotum mutando sanare queunt. Omnis igitur actio medicamenti, in utili mutatione consistit. Hæc pendet autem necessariò, hinc à medicamenti mutantis naturâ, inde à corporis quod mutatur constitutione & vi indefinenter actuosa.

Naturam medicamentorum noscimus, vel per qualitates varias quibus illa sensus nostros afficiunt, vel per ipsam eorum analysim, modò sine magnâ partium alteratione instituatur. Sensibus primum obvii sunt sapor & odor. Sapore distinguuntur à dulcibus acris, amara, salina, astringentia, acida, nauseabunda. Ex his enim cognoscimus esse aliquod ex principiis quod superemineat; & istud medicamentosum est. Namque, ut ait Hippocrates, *quodcumque eminet & per se existit, corpus à præsentî statu dimovet*. Odores præterea arguunt subtilitatem partium, multisque notantur differentiis; imò & in his ipsis plurima cum saporibus analogia deprehenditur. Demum si varia medicamentorum principia

per analysim explices, sese offerent mucosæ, oleosæ, resinosæ, salinæ, terreæ partes; quæ si minùs emineant, & intimè fuerint unitæ, videntur constituere partem illam vegetabilium succorum, adeò utilem, quam vocant saponaceam. Ulteriùs progredi vetat compositio corporum subtilior, in quâ plurima certè latent, quæ sensus nostri dignoscere nequeunt.

Ex simili principiorum & qualitatum varietate oritur corporis humani constitutio. Cui accedit ipse conditionis morbosæ status, & actionis vis irrequieta. Horum quidem generalia phænomena conspiciere atque observare datur, sed multa oculorum aciem fugiunt, altius abscondita. Ea autem quæ evidentia sunt, referuntur ad fluidorum principia & compositiones, ad solidorum structuram organicam, ad sensibilitatis & mobilitatis leges, ad partium & humorum peculiare analogias, demùm ad horum omnium systema in œconomia corporis & ordine functionum.

His igitur positis, dum medicamenta corpori ingeruntur, & eorum vis intenditur per corporis *actuositatem*, multi se produnt effectus. Quicumque sint, alii ad determinatam mutationem evidentemque agendi modum reduci queunt; & constituunt proprietates certas, quæ rationalibus indicationibus respondent, & ideò vocantur *dogmaticæ*. Alii verò, cum ad nullam distinctam actionis classem videantur pertinere, tribuuntur aliis proprietatibus, quas dicimus *empiricas*.

Proprietates *dogmaticæ*, vel à demonstratis principiis & sensibili naturâ manifestò pendent, vel ad ignotas & altius reconditas corporum condiciones referuntur. Qualitates enim corporum sensibiles proprios addictosque sibi secum ducunt effectus. Sic amara tonicam, acria irritantem & attenuantem vim possident; sic salina stimulant & incidunt, solvunt saponacea; sic volatilia altè penetrantia nervis addunt stimulos efficaces; & quæ ex ipsis magis adhærescunt, agunt quoque pertinaciùs, quæ verò faciliùs dissilantur, fugaci donantur efficaciam. Quin etiam, ab iisdem sensibilibus medicamenti qualitativis, pendent quædam cum certis corporis nostri partibus analogiæ. Sic canales hepatici maximè aperiuntur saponaceis & amaris, renales salinis, perspirationii sulphureis, &c. neque a dogmaticis verè abluunt, etiam si inter empiricas proprietates à pluribus numerentur, vis antimoniorum attenuans, mercurialium colliquans, incidens Ipecacuanhæ, & quorundam remediorum actiones in mucum & lympham, quæ ab ipsis inciduntur, funduntur, liquantur, resolvuntur. Quamvis enim cum principiis medicamentorum sensibilibus nullâ conjungi analogiâ videantur, mutationem nihilominus manifestam exerunt, & etiam omni sepositâ morbi alicujus peculiaris ideâ, generali & rationali indicationi omninò respondent.

At medicamentorum actiones *empiricæ* ab his longè distant. Quidquid enim excogitaverint ingeniosiviri, nulla certè oritur quæ intelligi adhuc potuerit mutatio, ex vi febrifugæ Kinæ, nullus in eâ noscitur determinatus agendi modus; nec animo concipi potest aut ullatenus definiri virtus Ipecacuanhæ antidynterica, non anti-venerea Mercurii proprietas, non ipsa specifica ad scorbutum debellandum cruci-

A ij

ferarum plantarum potentia. Quis etiam dicet, quænam sit illa analogiæ vis, quæ aloëtica adeò specificè, & cum quâdam veluti necessitate implent hæmorrhoidales venas? In his igitur effectibus actio medicamenti mutans latet prorsus, neque ullo modò aut demonstrari, aut determinari potest.

Verùm non unicus virtutum medicinalium ordo in singulis remediis observatur. Eadem enim plures simul exerunt effectus. Ex his variè inter se compositis oritur suus cuique medicamento proprietatum apparatus, quod in empiricis non minùs quàm in aliis evidenter patet. Undè non simplex eorum actio, sed dogmaticis & empiricis proprietatibus mixta. Quarum omnium consideratio necessaria est, tum ut omnis eorum virtus cognoscatur, tum ut habeatur ex iis plenior indicatio.

III.

ACTIONES in empiricis medicamentis varias & multiplices faciunt; ipsorum remediorum compositio multiplex; ægrotantium maximè variabilis indoles, conditio, status; tum etiam ipsa natura, periodicè semper statisque temporibus agens.

Namque seorsim jam consideratæ proprietates corporum tum dogmaticæ, tum empiricæ, unà tamen collectæ atque intimè unitæ reperiuntur in iisdem substantiis. Kina febrifuga & peculiari modo antiseptica, donatur etiam qualitatibus sensibilibus, naturâ evidenti, & proprietatibus certis atque affirmatis. Principia enim habet partem resinoso-extractivam amaram & crassiorem, non nihil etiam astringentis terræ. Indè est astringens, stimulans, tonica, stomachica. Ipecacuanha scatet parte extracto-resinosâ, acri: undè, præter antidysentericam virtutem, stimulans quoque est, & majori dosi emetism, minori catharsim excitat, minimâ lympham attenuat, & incidit mucosos humores. Antiscorbutica, acria, tenuia, volatilia, habent succum tenuem, saponaceum; lympham attenuant, decompositas humorum partes attenuando resolvunt, sed specificè decompositioni scorbuticæ medentur. Mercurius antivenericus & sialagogus, dividit, attenuat, colliquat humores lymphaticos, nervos stimulat, irritat, spasmos & tremores parit.

Ut autem ex ipsâ medicamentorum compositione nascitur proprietatum conjunctarum numerus, ita ex corporum differentiis mira indicationum varietas. Multum enim difficultatis & impedimenti afferunt morbus ipse, ægri temperamentum & sexus, variarum partium major minorve debilitas, tum etiam multa quæ morbum complicant. Nam præter heterogeneous impuritates, notum est quantum apud nos possit & nervorum irritabilitas maxima, & sentinæ primarum viarum semper ferè conjuncta complicatio. Quartana iners corpori inhærens cachectico, quàm differt à tertianâ calidiori! Quantum tertiana autumnalis à vernali discrepat! & si intermittentes cum protractis remittentibus, vel cum biliosis periodicè exacerbatis conferas; quàm variæ indicationes cum illâ intermissionis periodicæ indicatione conjungentur! Neminem latet quanta in dysenterii varietas adsit, quàm differat scorbutus à scorbuto. Præterea non certè idem

est si mollis foemina, aut vir robustus, si rigidus senex, aut validus juvenis, aut imbellis puer laborent febri vel dysenteria. Nec tenue facessunt negotium pulmo debilis, ventriculus aegre ingesta ferens, aut aliarum partium conjuncta morbis aegritudo. At nulla mala tristiores medico parant ærumnas, quam nervosi affectus, in delicatioribus adeò frequentes, quam saburra primarum viarum, quæ maligna suppeditans venis miasmata, assiduâque peste humores insiciens, turbat coctionem, protrahitque morbum.

Indicationem ex morbo & accidentibus desumptam variè moderatur temporum observatio. Certum enim spatium in agendo sibi poscit natura. Gradatim namque operatur, neque confundi possunt cruditis, laboris & coctionis stadia. Dabunt enim occasionem, novosque sufficient indicationum fontes fluidorum mobilitas vel turgescencia; erethismi, aut pronæ in erethismum sensibilitatis gradus; cruditis & coctionis signa; demùm in his omnibus actionis naturalis ductus & periodus. Agere enim validius non possumus, ubi stricta sunt spasmus solida, erethismo concluduntur & coercentur humores. Moveri verò nequeunt, nisi quæ fluxilia facta sunt, aut cocta, aut spontè exeuntia; & ea, non nisi convenienti tempore & per loca convenientia.

Adeoque in tantâ rerum varietate, quam non solum implicat medicamentorum & corporis conditio multiplex, sed auget etiam naturæ agentis observatio, patet quantum ratiocinii in ipsâ empiricorum adhibitione requiratur, tum ad deligenda remedia, tum ad occasionem arripiendam.

I V.

IGITUR Medicus, quæcumque sit empiricorum remediorum vis atque potentia, nihilominus ipsorum proprietates singulas aestimare & ratiocinando perpendere, indicationes è corpore agrotante omnes colligere atque conferre, demùm naturæ tempora viasque observare atque explorare debet. Sive enim talem constituamus morbum, in quo nulla sit ab accidentium concursu, ab ægri temperie aliisve circumstantiis complicatio, undè empirici remedii indicatio mutari posset aut imminui; sive ea simul admittamus ex quibus in morbis varietas atque inconstantia oriuntur, manet eadem ratiocinii necessitas & legum dogmaticarum applicatio.

Febres intermittentes initio quidem daretur sæpè compescere, si larga kinæ dosis à primis diebus exhiberetur. Verùm refusa in sanguinem inimica materies intrâ corpus viveret & visceribus variis non eluendam cum pessimo infarctu labem imprimeret. Scilicet nulla est vera absque coctione curatio; nulla coctio sine naturæ actione. Igitur expectandum donec, ut ait Sydenham, se ipsa suo marte febris protriverit. Præterea cùm repetitis accessibus impleatur coctionis munus & excretio perficiatur, non est illicò atque uno ictu compescenda febris actio, sed lenienda sensim, servatâque canalium libertate retundenda. Ideò primò solis aperientibus usi, post aliquot accessus, ad laxantia amaris tonicisque juncta descendunt Medici, sextoque circiter excedente paroxysmo, kinam laxantibus & aperientibus mixtam, sensim legitimâ dosi exhibent. Sic enim paulatim ingressa corpus, humores penitus

imbuat, vimque omnem fortita, certius & tutius febriles debellat motus, quam si ipsum paroxysmum subitâ actione consopiret. Verum non eadem semper est morbi facies. Namque alibi lentam viscosamque naturam nata febris, quartanam pertinacior efficit; alibi effervescentem secuta bilem, ardentium naturam affectat, duplex, magna, fervida. Conditionem quoque ægri mutant multa accidentia. Nam sæpè debiliori pulmoni inimica timetur kina; sæpè nervos delicatior irritat nimis; aut in multâ primarum viarum saburrâ, evacuationes sistit astringens nimium; vel obstructi, ut solet, hepatis nondum apertos canales infarcit magis atque obstipat. Indè tot variæ præparationes inventæ, in quibus cum demulcentibus, antispasmodicis, refrigerantibus, attenuantibus, aperientibus & catharticis juncta kina certior & novis proprietatibus dives exhibetur. Quin etiam aliquandò prodest, ut in vernalibus, nulla præter diluentes succos adhibuisse medicamina, & plenum utili brevique exspiraturæ effervescentiæ spatium reliquisse.

Specificæ in dysenteriis Ipecacuanha multas requirit temporum, morbi, accidentium considerationes. Primis enim temporibus ipsius usum prohibet magna intestinorum irritatio, interiorisque tunicæ nimia phlogosis. Novis enim stimulis percita, inflammaretur penitus, præcipitemque Medici imprudentiam ægrotus capite lueret. Igitur tractato per lenientia primùm & antiphlogistica morbo, ubi calor paulum deservit, neque tantus est irritandi metus, vomitus primò ipecacuanhâ concitatur, quò fursùm revocando tardetur impetus materiei ruentis ad inferiora rapidius, nimiaque peristaltici motus minuatur celeritas. Dein parçâ dosi alterans facta brasiliensis radix, atque etiam narcoticis juncta, utili consortio benignior, nocituras destruit morbi reliquias. At istud præcipuè catarrhali dysentericiæ convenit, ob materiei indolem. Neque enim adeò aut putridæ, aut castrensi opitulatur. Minimè verò omnium dysenteriis symptomaticis, quales sunt illæ quæ à biliosæ aut acris saburræ, aut melancholici humoris transitu accidunt. Sæpè etiam, ubi laxioribus factis intestinis, sola morbum trahit inertia, feliciter præferuntur tonica astringenti virtute donata, ut cortex Simarouba, ut Codaga-pala, ut laudata Gaubio radix *Rui - Lopez*.

At inter variâ specificæ maximam meretur attentionem Mercurii actio, & in ejus usu plurimùm sæpè peccatur. Præcipuè verò cautelarum necessitas oritur ab ejus vi irritante, nervosque peculiariter afficiente. Fœmina debilis, tristi veneno infectis humoribus, cachectica, irritabilis, anhelò pulmone & in hæmoptysim prono, quâ ratione colliquantem mercurii vim feret? Liqueantur humores, auctis excretionibus extenuatur corpus, ruptisque canalibus fertur è pulmone sanguis, & omnia membra agitat lethalis sæpè convulsio. Quàm necesse est temperare doses, corrigere malam medicamenti vim, tum demulcentibus, tum antispasmodicis, evacuationum copiam moderari & earum impetum reprimere; delegisse etiam frictioni locum non inutile est. Initio igitur præparandum corpus, ut sanitati accedens quàm proximè, levissimis & aperientibus turgens decoctis, patentibus canalibus, motibus compositis, levi & eupepto sustentatum cibo, medicamentum

& liberius admittat, & ferat facilius. His itaque præhabitis, medicamento forma, vis, spatiumque deligenda sunt. Quàm salia mercurialia, imprimisque difficilis adeò & plenus periculi sublimatus corrosivus, metuantur in pulmonis & ventriculi debilitate; quantum frictio incommodi pariat; quàm difficilis fumigatio; quàm infidæ cum corrigentibus præparationes; quantum sit modò antispasmodicis, modò demulcentibus, modò tonicis dimicandum; omnia unà consideranda sunt. Deindè agitandum nùm ad salivationem ducenda res, nùm per intestina melius conveniat, nùm mercurium intrà vasa præstet consistere. Nec minorem requirunt sagacitatem & durationis & intervallorum determinatio.

Neminem latet quanta morbi varietas, acre medici poscat judicium in curando scorbuto: quàm differant varii scorbuti gradus, quàm variæ ejus illudant species. Novimus enim quàm diversis utendum sit, & quàm diversè, in scorbutico acido, muriatico, putrido. Quanta sit adhibendorum differentia in eodem ineunte, confirmato, pessimo. Namque initio soli ferè vegetabiles succi, etiam molliorum plantarum, sufficiunt & vi saponaceâ curam implent. Deindè fortiora requiruntur; & pro varietate, succi acres, volatiles, amari, acidi, vina ex his confecta. Ultimò quæcumque maximè expedita adhibenda sunt: sive sint acida, sive alkalina aut ammoniacalia; *aër ipse fixus*, ut vocatur, & eo turgens in ipsâ fermentatione liquor, qui etiam nuper præcavendo in navibus scorbutico maximè idoneus inventus est *. Ea autem omnia vix moderatè danda. Quin & ubi cessit maxima mali labes, sensim à fortioribus ad leniora, cura cum recedente morbo deducenda est.

V.

AT vereor ne quis in his, aut empiricis nos credat propiores, quàm deceret doctrinam profitentes hippocraticam, aut contrà nimis ratiocinio tribuisse, minùs verò quàm necesse est experientiam fuisse secutos arbitretur. Utriusque enim criminis culpam à propositâ thesi æqualiter remove re studuerimus. Experientiâ scilicet docemur. Hujus ope inaudita & incognita quotidie se produnt, quæ nec detegere, nec prævidere potuit ratiocinium. Ars ab experimento nata, hujus accessione crevit, adolevit, & olim forsan eo perficietur. Verùm si denegetur ipsi judicium & omnem medicinam in solâ rerum præteritarum *anamnesi* consistere velimus, quantum ubique aderit cæcitatæ atque inconstantiae! Iter monstratum dum calcatur ille, qui se empiricæ angustiiis obstrinxit, quàm multos ad scopulos alliditur! Adeò mutabilis est hominum constitutio! Tàm multiplex esse potest causarum sæpè oppositarum numerus! tanta se fert ultrò accidentium varietas! tàm magna rerum externarum, non solum in sensus nostros, sed in intimos etiam machinæ motus exeritur, eaque tam variabilis potentia! Quomodo igitur dignoscet ille, quid tempori, quid ætati, quid naturæ dandum sit, quid consuetudini? Quandonam tumultuantes motus discet componere, detectâ causâ? Nec enim aut impetuosas vires reprimere, aut recreare sufflaminatas, aut eas halitu maligno

* Talem ulum *aëris fixi* præcavendæ potius quàm curandæ scorbuticæ sui commodum expertus est *James Cook*, in eo, quod nuper conscripsit, itinere versûs australem polum.

oppressas expedire poterit, aut ullâ ratione justis habenis actionem naturæ moderari. Igitur experimentum experimento junxisse non satis est, nisi accedat omnium inter se mutua collatio, undè & leges naturæ detegantur, & ejus differentiæ distingui possint, & ratiocinii fundamenta certa atque inconcussa consistant. Experimentum enim fallax, & in occasione præcipiti judicium difficile est, verum & ab experimento facilius judicium, & à judicio experimentum certius oritur. Præterea, etiam si hodiernis temporibus multa explanata fuerint naturæ arcana, ignota veteribus, undè ditior nunc facta est medicina; hæc tamen iisdem semper innixa legibus principiisque ab initio claruit. Talem Hippocrates acceptam coluit, auxit, & in scriptis aureis posterorum memoriæ primus consecravit. Talem coluere deinde illustres viri, quicumque in republicâ medicâ maximè claruerunt. Immeritò scilicet plurimi ex empiricis gloriantur, se authorem habere Hippocratem, alterumque artis principem Sydenham. Præter cætera dogmaticæ doctrinæ elementa quæ in Hippocratis scriptis ubique reperiuntur, omnium ætatum admirationem metuere illa, quæ de bellebororum usu tradit, dogmata immortalia. Ex his intelligimus quid valeat in medendo ratiocinium, quantum ex ejus cum experienciâ conjunctione, accedat ægrotantibus utilitatis, arti certitudinis & honoris. Iisdem certè ductus principiis Sydenham, non mediocriter rationalis medicinæ specimen in ipsâ kinæ in intermittentibus adhibitione suppeditat. Naturæ enim sedulus ille observator tantâ cum prudentiâ, ne dicam adeo meticulosè, febrifugum corticem adhibet, ut etiam ex ejus scriptis, quem ita temerè empiricum vocant, concludere liceat

Ergo remediorum, etiam empiricorum, adhibitio dogmatica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|---|--|---|
| M. Ludovicus-Carolus-Henri-
cus MACQUART. | M. Claudius-Antonius CAILLE,
è Societate Medicâ Edimbur-
genfi, è Regiâ Societate Me-
dicâ Parisiensi pro Epidemiis
institutâ. | M. Anna-Carolus LORRY. |
| M. Joannes-Franciscus-Jacobus
ROUSSILLE DE CHAM-
SERV, è Regiâ Societate
Medicâ Parisiensi pro Epide-
miis institutâ. | M. Philippus-Alexander BA-
CHER. | M. Bernardus-Nicolaus BER-
TRAND. |
| M. Sanctus-Ludovicus GUIN-
DANT, è Regiâ Scientiarum
Societate Monspelienfi. | M. Claudius - Andreas GOV-
BELLY, Chirurgiæ Latîno
idiomate Professor. | M. Stephanus - Ludovicus
GEOFFROY, Regi à Consi-
liis & Secretis, è Regiâ So-
cietate Medicâ pro Epidemiis
institutâ; Societatis Bota-
nicæ Florentinæ, necnon Pa-
trioticæ Stokolmiensis Socius. |

Proponcbat Parisiis JOANNES-NATALIS HALLE,
Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis
Baccalaureus, Theseos Autor, A .R. S. H. 1777.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1777.